



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

25. Junii. Oportet parum loqui, & multùm audire. S. Ignat. apud Bart. l. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Nemo certiùs labitur, quàm qui se cre-
dit esse securissimum: ignorantia pe-
riculi summum est periculum: incauta se-
curitas via est ad præcipitium, quò quàm
facilè est ruere, tam difficilè inde redire.

Alieno ductu qui graditur, securiùs pro-
cedit. Plures oculi plura vident, & prævi-
dent. Væ soli! quia cùm ceciderit, non
habet sublevantem se.

Nemo suo, etiam in optimis, nitatur ar-
bitrio; cùm sæpe ex optimis, si degenerant,
fiant pessima. Qui suæ virtuti fedit, nullam
habet.

Alta semper periculis obnoxia. Vertigi-
nem time, qui de se submissè sentit, hanc
facilè cavet. Præfidentia temeritatis mater
est pedissequam trahens ruinam.

25. Junii.

Oportet parum loqui, & multum audire. S.

Ignat. apud Bart. l. 4.

Per verba effunditur animus, vox ge-
nium prodit, hâc ministrâ cordis pa-
tent intima, quæ tamen ità recondita vo-
lebat esse natura, ut nec Momo fenestela
lam, eò indulserit.

Multiloquio prodigitur authoritas, qui

racens philosophus mansisset, loquens omnem sui opinionem diluit: majora quippe animo volui quisque credidisset, si prudenti silentio, velut si pario, involuta mansissent, quæ inconsulta lingua profudit.

Ubi verborum est flumen, ibi vix gutta mentis. Prudens multa loqui non potest, quia prævidet, quàm grandes vox levigare possit tempestates.

Nec aliquid est honorificum magis, quàm verborum parsimonia. Etiam fatuus, quàm diu tacet, sapientem simulat. Naturam æmulemur, duas homini aures, eaque semper apertas; linguam unicam, eamque tot absconditam repagulis dedit.

26. Junii.

Qui Deum secum fert in corde, circumfert secum paradysum. S. Ignat. in compend. vitæ.

Solus Dei amor sinceræ fons est latitudinæ, sinè ullius admixtione fuci limpidissimus, absque ullius cessationis periculo perpetuus. Quid fodimus nobis cisternas dissipatas!

Si dilectionis pactum cum Deo inest, non est, quòd de felicitatis constantia dubitetur.